



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XVI. Exempla, in quibus prædicta exercitationes charitatis erga inimicos luculentiùs apparent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

CAPUT XVI.

Exempla, in quibus prædictæ
exercitationes charitatis erga ini-
micos luculentius apparent.

Primum inter dotes à D. Paulo cha-
ritati attributas locum tenet pa-
tientia: tranquillus nempe ani-
mi status in excipiendis citra per-
turbationem offensis, & molestiis, quas no-
bis inferri ab aliorum seu incuria, seu male-
volentia contingit. *Charitas patiens est:* (*ad Cor. c. 13.*) Quò igitur ad virtutem tam
necessariam enixiori studio incumbamus
præter rationes in illius commendatione
jam adductas, novum, nec fortasse minus ve-
lidum nobis calcar adjungent exempla
quentia.

2. Et quantum ad ferenda æquo animo
incommoda, quæ ex aliorum negligentia
proveniunt, memorabile tum per se ipsum
tum authoris sui respectu est exemplum
Philippo II. Hispaniarum Rege editum. Mi-
tum ille noctis vigilaverat, de gravissimis ne-
gotiis ad summum Pontificem scribens, ep-
istolamque jam ad calcem perductam astan-

ministro complicandam tradiderat. Cùm hic pro theca arenaria, qua recens atramentum ficcaret, atramentariam illi proximam per errorem arripiens, & supra scriptum à Rege folium invertens, totum fœdè inquinavit, confuditque. Gravis inconsiderantiæ culpa erat, etsi adversus tenuioris fortunæ Dominum fuisset commissa: gravis labor à Rege scribendo exhaustus, quémque ità subito periisse sibi totum videbat, & redordiri de integro cogebatur, præsertim serò jam noctis fatigatus, somniquè indigens. Neque infelix minister, re animadversa aliud sibi omnabatur, quàm immanem objurgationum procellam, quàm perpetuum ab aula exilium, quàm extremum totius spei, fortunæque suæ occasum. Sed tota perturbatio intrà ipsum stetit. Rex quippe immoto prorsus vultu, & æquabili vocis sono, nihil aliud ei dixit, quàm ut novum sibi folium porrigeret, resumptoque calamo, exaratam antè epistolam denuo lucubrare est aggressus: dignus enim vero, tam magnam orbis terrarum partem habere suo dominio subjectam, cùm egregiè adeò dominari suo animo sciret. (*Rho. Hist. Virt. L. 7. c. 8.*)

3. Longè infra conditionem Philippi erant nostri duo Sacerdotes, Georgius Colebrantius, & Hieronymus Platus: sed tantò illustrior in simili casu eorum æquanimitas fuit, quantò graviore jactura non paucarum horarum, sed plurium sibi annorum laborem alienâ vecordiâ corruptum viderunt: prior nempe enchiridion sententiarum, ex Græcis, Latinisque Scriptoribus diutina lectione collectum; alter verò plures libros de Christiani officii perfectione magno studio ad umbilicum jam perductos, & prælo paratos. Cùm enim contigisset, eruditas illas utriusque lucubrationes nescio cujus imprudentiâ discerpi; nemo inter rei conscios fuit, qui minùs ipsis de tam indigno commoveretur eventu, nemo qui sereno magis vultu illum tulerit. (*Id. L. 1. c. 10. & L. 6. c. 3.*)

4. Plus tamen, quàm damna per incogitantiam illata, præferunt injuriæ, vehementiusque afficere animos solent, quæ dedita operâ, scienterque inferuntur. Et hujus generis illud fuit, quod duo Monachi tolerasse traduntur à religioso alio viro, qui periclitandæ causâ eorum virtutis salutatum eos venerat. Cùm enim hic susceptus ab iis Angeli instar fuisset, paulò pòst in eorum hortu-
lum

lum egressus, cœpit confita ibi olera vibrato
 quaquaversum tempestatis in morem baculo
 decutere: adeò immaniter saviens, ut nè u-
 num quidem intactum reliquerit. Specta-
 bant hæc Christi famuli, sed perinde quasi ad
 se nihil pertinerent, nullum seu verbo, seu
 vultu edidère comoti animi indicium. Quin-
 imò post preces rite absolutas inhumanum il-
 lum hortuli sui vastatorem ad cibum capien-
 dum officiosè invitârunt. Qui fortiores re
 ipsa nactus, quàm famâ celebrari audisset,
 temperare sibi non potuit, quin ampliissimè
 iis gratularetur tam eximiam virtutem, & ad-
 miratione illius plenus discessit. (*Spec. Ex.*
Dist. 2. Ex. 26.)

5. Crescit porrò, uti instinctus naturalis
 ad iram, sic difficultas, & pretium Christia-
 næ mansuetudinis in eo refrænando, cum of-
 fensa gravi quopiam insultu dignitatem, aut
 personam hominis lædit. Quo in genere
 multa mihi, & prælara imperturbatæ æqua-
 nimitatis exempla se offerunt. Offert se
 Bartholomæus Martinius ex sacra Minimo-
 rum familia, experiri aggressus, plúsne ipse
 per voluntariam humilitatem se deprimere,
 an deprimi ab aliis per contumeliam posset:
 & ità quidem, ut victor è certamine abierit:

ceu Cabræ Marchioni licuit agnoscere, cum impotenti furore succensus, ob tacta ab eo concionante sua vitia, quidquid probrorum ira suggerebat, in os illi eructasset, subinde iterans: numquid me nôsti? Ab his siquidem ipsis verbis sumptâ respondendi materiâ: itane, subiecit, ego te ignorem tam conspicuæ nobilitatis Dynastam, & cujus neque inter famulos admitti mereor, utpote rustici è pago Marmegio hominis filius? Quibus, aliisque in eandem sententiam adjectis sincerâ demissionis vocibus, vir verè *mitis, & humilis corde*, superbi conviciatoris animum emollivit, & vecordi à furore in sui reverentiam convertit. (*Rho. Hist. Virt. L. 7. c. 8.*)

6. Offert se Joannes Fernandus D. Francisci Xaverii in Japonia Socius, cui Christianæ fidei mysteria ad populum explicanti, cum petulans Ethnicus ludibrii causâ in os expulset, nullum omnino repentinx illius, publicæque ignominix sensum præsetulit, sed de prompto linteolo impuri nebulonis salivam, ut de sudore fieri solet, placidè abstergens, institutum sermonem eodem, quo priùs oris, atque vocis tenore pertexuit: tantum hac æquanimitate apud spectatores approbationis nactus, ut eorum unus (quem alii deinceps mul-

multi ex eadem urbe subsecuti sunt) ad Christianam Religionem dignè æstimandam, & suscipiendam indè fuerit permotus. (*Turf. in V. S. Fr. L. 3. c. 6. & Hist. Soc. P. I. L. II. n. 104.*)

7. Offert se D. Elisabeth Hungariæ Regis filia, quæ post Lantgravii Conjugis obitum lutulentam per viam mulierculæ occurrens, suis olim non paucis beneficiis affectæ, ab eaque violenter propulsa, ità ut medium in lutum præceps devolveretur, sedatè ab humo surrexit, vestibus quidem cæno oblitis, sed animo defæcato, & vultu sereno. (*Marul. Dict. & Fact. Mem. L. 5. c. 2.*)

8. Video Bernardum à Quintavalle, ex primoribus Seraphici Patriarchæ Francisci Sociis, Bononiæ inter omnimoda circumfusi undique propter habitûs novitatem petulantis vulgi ludibria, dum ab hoc in unum, ab illo in alterum latus impellitur; ab his arrepto cinguli fune, ab illis apprehenso cucullo trahitur, hi cæno eum respergunt, illi aliarum sordium jactu incessunt, cuncti demum aliis, atque aliis pro arbitratu suo modis certatim homini illudunt; video illum, inquam, de nullo queri, nulli obsistere, nullius vim declinare, sed tacitum, immotum, tran-

tranquillum, ad quoscunque insultus se offerre, quævis contumeliarum genera exorbere, quòdque de cælesti suo Magistro prædictum à Jeremia fuerat, (*Thr. 3.*) *opprobriis*, tanquam diu concupito esurientis animæ pabulo *saturari*, atque expleri. (*Spec. Ex. Dist. 7. Ex. 15.*)

9. Video Ægidium Consalvium, gravissimæ in nostro Ordine authoritatis virum, & alium Abbatis Pauli Monachum, improvise validæ manûs colapho ictos, hunc à suo Præsidente, dum mensis ministraret, illum à vecordi homine, dum per urbem incederet, adeò pacatè, dissimulantèrque, & sinè ulla oris mutatione illatam vim ferre, ut, qui eos non vidisset cædi, minimè suspicari posset cæsos fuisse. (*Rho. ibid. L. 6. c. 3. Casian. Coll. 19. c. 1.*)

10. Video alios itèrè nostris hominibus duos, Jacobum nempe Saraviam, & Franciscum Villanovam eodem injuriæ genere lacessitos, non minori virtutis robore eam ferre: nisi quòd nequaquam, ut modò dicti silentio transmiserint offensam, sed memorabile illius dederint testimonium; prior post percussorem, qui raptim abibat, currendo, ab eoque, ubi affecutus est, humillimè veniam

am rogando ; posterior verò , cujus bis tentata hoc in genere patientia est , procumbendo in genua ante unum è suis percussoribus , & obvertendo alteri maxillam intactam , ut in eam quoque similiter posset sævire. (*Rho. supra, & Hist. Soc. P. 2. L. 1. n. 130.*)

II. Video Libertinum illum , jure à D. Gregorio laudatum , cui cum suus Abbas , præcipitis iracundiæ vir , nescio quid occasionis nactus , scabello os contudisset ; tacitus , & sinè ulla læsi animi significatione ab eo in cellam suam abiit : rogatusque à nonnullis postridie , undenam lividam , tumentemque ità faciem præferret , conatus est , quàm solertissimè poterat , Cœnobiarchæ inhumanitatem tegere ; scabellum esse in causa respondens , ad quod suis peccatis agentibus , pridiana vesperâ os illisisset. (*D. Greg. Dial. L. 1. c. 2.*)

12. Video Dominicum Anadonum , è sacro Prædicatorum Ordine , à Cacodæmone , cui mendaci larvam induto , & stipem flagitanti , jusculi patinam benignè obtulerat , eâ ipsâ patina repentè in ipsius faciem contortâ gravissimè ictum. Qui licèt ex percussione violentia annis cæteroqui gravis humi corruerit , non tamen animo etiam cecidit : imò
nè

nè tantillum quidem de Christianæ patientiæ gradu dimoveri potuit, sed placidè tolerans duram sibi adeò, inexpectatamque mercedem pro eleemosyna impertita rependi, superbum hostem humili mansuetudine sua profligavit, & larvâ depositâ abire in fugam coëgit. (*Rho. supra.*)

13. Video & Franciscum à Lotharingia Ducem Guisium, heroëm non Christiana minus, quàm bellica præcellentem virtute: quemadmodum vel una testimonio esse potest lenitas animi, ab eo demonstrata erga Calvinianum hominem, qui suismet in castris illius capiti insidias struebat. Cùm enim post deprehensa furiosi latronis consilia hic prædicaret, eorum sibi causam novæ Religionis studium fuisse, cujus propagationi nimium quantum suis armis Guisius obstabat; atqui, ait, magnanimus Princeps, ut palàm omnibus constet, exactiusne à nobis Catholicis, an à vobis, qui ejus instauratores vos venditatis, Christiana lex observetur; ego quamvis possim æquissimo jure morti te addicere, quòd tu illam contra omne jus mihi inferre tentaveris; quia tamen Euangelium jubet, malefacta beneficiis rependere, satius mihi duco, quid ibi suadeatur, quàm quid tu me-

rea-

rearis spectare. Hisque dictis pœnam omnem nefario insidiatori condonavit, & liberum abire, quò vellet, permisit. (*Rho. L. 7. c. 8.*)

14. Hi tamen, quorum hæcenus mentionem fecimus, quantumcunque egregia mansuetudinis adversùs inimicos documenta ediderint, non nisi obiter, unicòque, vel altero tantum actu illa edidère. Haud defunt, quorum patientia, veluti ad longum oppugnari perrexit, sic diutina resistendi, vincendique continuatione admirabiliorem, & magis heroicam sese exhibuit. Paucos quosdam satis erit exempli causâ delegisse, atque in medium protulisse; ab insigni DEI famulo, Alphonso Rodericio exordium desumo. Inter tonsores, quibus Balearicum nostræ Societatis collegium utebatur, juvenis erat non protervi tantum, sed & barbari ingenii: cujus in manus, cum radenda sibi esset barba, incidere Alphonsus ad tolerantia experientum solebat, genas semper indè referens sanguineis novaculæ incisuris hac illac signatas. Neque id propterea, quòd juvenis suam artem minùs calleret, sed quia ludi genus arbitrabatur sic savire, vel experiri cupiebat, num ad impatientia aliquod signum provocare
ho-

hominem posset. Et quamvis mitissimus senex, *tanquam agnus coram tondente se*, omnia tacitus ferret, nec unquam nisi blandum, & comem sese illi exhiberet, nulla tamen mansuetudo cicurare sævam indolem poterat. Quin deterior fiebat indies, suam illam inhumanitatem, joci, & laudis causâ apud socios deprædicans, respondensque, si à quopiam objurgaretur, Alphonsum doloris sensu carere ad novaculae ictus. Diu insolens latus processit: improbus siquidem juvenis, quoties ad Collegium unâ cum tonsoribus sociis venit, hos commonebat, nè suum sibi feniculum quisquam præriperet. Et licet eorum quidam pietatis causâ id facere optarent, nihilominus, cum Alphonfus ad tonsuræ locum accederet, vel circa domesticos alios occupati jam erant; vel ex alio quo casu suam exequi piam mentem haud poterant, semperque fiebat, ut ipse sub novaculam ordinarii sui tortoris rediret; sed DEUS tandem modum posuit: cumque jam satîs unius patientiam probâisset, vindicatam quoque alterius petulantiam voluit: permittens, ut vulnerato inter rixam brachio ad tonsoriam porro artem exercendam inutilis fieret. (*In Vit. 6. 9.*)

15. Mira quoque ob diuturnitatem temporis fuit tolerantia, quam in duriori adhuc experimento factam tectam retinuit juvenis Monachus, nomine Acatius: Rectorem nactus tam effrænis iracundiæ hominem, ut non contentus quotidianis conviciis insontem alumnium onerare, huic verborum inclementiæ atrociora quoque facta conjungeret, nullum intermittens diem, quin illius jam dorsum, jam caput, jam faciem immaniter cæderet. Sub cujus tamen disciplina invictæ patientiæ juvenis ad novem annos (quot nempe habuit mortalis vitæ reliquos) constantissimè perduravit, non minori cum demissione per totum hoc tempus ei serviens, quam si emptitium illius esset mancipium. (*Clim. Gr. 4.*)

16. Esto demum præ cæteris omnibus, quæ afferri possent hoc in genere exemplis, incredibilis patientia, atque charitas Seraphicæ Virginis Catharinæ Senensis, in diutina sedulitate curandi, fovendique duas fæminas, gravissimè laborantes; alteram elephantiasis per totum corpus diffusa, alteram horribili carcinomate pectus erodente, quarumque fordes, ac fœtorem nemo pati citra nauseam valeret: sed super hæc adeò morosas, intra-

ctabilésque, & averfi præfertim à Catharina animi, ut quantocunque hæc studio, & conatu illarum se obsequiis impenderet, nihil tamen ab ingratis, & fastidiosis, præter jurgia referret: imò etiam posterior sædissimis illius pudicitiam calumniis apud omnes infamatum iret. Adeò quippe ob indignam hujusmodi responfionem tepefactus minimè est in vera Christi Sponsa benignitatis pristina ardor, ut præter assiduam, atque indefessam iis serviendi contentionem non dubitaverit aliquando & pus exorbere, à sordidissimo illo carcinomate expressum, quæ infamiam omni carcinomate, & pure sordidiorem suo nomini asperferat. (*Castigl. Hist. L. 2. c. 42.*)

17. Quo facinore non assequi tantum sed & superare visa est proditum à Cassiano Alexandrinæ illius fæminæ exemplum: quæ à D. Athanasio precata, ut aliquam sibi ex viduis Ecclesiæ assignari juberet, suis sumptibus apud se alendam; quòd unam accepisset eximia ingenii lenitate, optimisque moribus præditam, paucis post diebus ad sanctum Antistitem rediit, querens, haud satis petitionis & voto suo esse factum. Nempe aliquando nancisci illius votum erat, quæ nullam, officiosis verbis, gratique animi significati-

bus humanam mercedem servituti suæ retri-
bueret. Neque tardum, magnique laboris
fuit, hujus illam voti compotem facere. Ali-
am siquidem prioris locò accepit, diversis
prorsus typis excusam, iracundam, super-
bam, contumacem, rixosam, quæque non
modò nullas ei gratias pro impensis officiis
referret, verùm etiam in his aliquid semper
desiderandum, culpandumque inveniret:
assiduis eam querelis incessens, quòd sese in
suam domum non hospitaliter, sed servili-
ter tractandam duxisset: imò heram quoque
illius agens, & ubi quid factò opus esset, pro
potestate, & imperio quasi à famula exigens:
neque interdum procacitati suæ temperans,
quin vel infestas ipsi manus injiceret. Qui-
bus suis intemperis id affecuta est, nè pia mu-
lier aliam sibi ejus locò viduam ab Antislite
flagitandam haberet: sed ei pergeret inservi-
re, tantò quàm priori libentiùs, quantò ube-
riorem ab ea sibi suppeditari videbat cælesti-
um meritorum materiam, propter simul
conspirantia tum sedulæ charitatis, tum in-
victæ patientiæ exercitia. (*Coll. 18. c. 14.*)

18. Quia verò nonnulli iuas ferre facili-
ùs injurias solent, quàm illatas seu capitibus
sibi charis, seu cœtibus, quorum ipsi pars
sunt,

sunt, libet in uno, alteroque exemplo rationem ostendere, tranquillæ, immobilisque patientiæ, inter hujusmodi quoque injurias servandæ. Primum sit mansuetudo, à Jacobo Mirone nostro in Lusitania Provinciali exhibita, cum concioni interesset, quam bonus Ecclesiastes penè totam nostræ Societatis criminationibus contexerat. Quamvis enim multi Auditorum præ indignæ rei stomacho dilaberentur, non modò usque ad finem perstitit dicenti operam dare, verùm etiam descendenti è suggestu obviam factus, manus ab eo exosculandam sibi dari suppliciter petiit, porrectamque demississimo osculo veneratus est: vincens ità *in bono malum*, & religioso illo humilis tolerantia actu luculentius, quàm elaboratissimis quibusque apologis redarguens coniecta in suum Ordinem crimina. (*Hist. Soc. p. 1. L. 12. n. 65.*)

19. Alterum exemplum Mutius ille Monachus sufficit, quem jam alibi diximus, cum filiolo suo ferè octenni ad cœnobium venisse. Nam, licet videret (quod ad paternæ experimentum virtutis de industria fiebat) puerum neglectim haberi, parcè rebus necessariis instrui, etiam ubi nil culpæ meruit, dè re oburgari, quin & pluries colaphis cæditur.

nunquam tamen evenit, ut cernens ærumnas, & audiens ploratus charissimi pignoris, aut conquereretur de illa inhumanitate, aut infantis defensionem fusciperet, aut Abbatem de illo mitius tractando rogaret: sed, quasi ad se nihil ultra pertineret, posteaquam Deo illum consecrârat, *rigida semper, atque immobilia patris viscera permanserunt. Non enim reputabat suum filium, quem secum pariter obtulerat Christo: nec curabat de præsentibus ejus injuriis, sed potius exultabat, quod eas nequaquam infructuose tolerari cernebat: parùm cogitans de lacrymis ejus, sed de propria humilitate, ac perfectione sollicitus.* (Cass. L. 4. c. 27.)

20. Parùm tamen perfectæ erga inimicos charitati est, lædentibus non irasci, aut mali quidquam velle, sed tranquillam in quovis injuriarum genere patientiam servare. Primæ huic suæ proprietati aliam quoque illam superaddat necesse est, cujus secundo loco Apostolus meminit, benignitatem nimirum, quascunque offensas remunerari beneficiis studentem. *Charitas patiens est, benigna est.* (I. ad Cor. 13.) Et talem eam utique sanctus Alexandria Patriarcha Joannes Eleemosynarius exhibuit, tum mendico, qui pro stipe à se accepta, contumeliosa ei verba reddidit.

diderat; tum ignobili tabernario, qui nepotem suum ausus fuerat jurgiis proscindere. Nam in primo casu, præterquam quòd multum edidit commoti animi signum; adstantium quoque iras in protervum oblocutorem repressit: suam omnem esse culpam affirmans, qui minùs largè, quàm par erat, homini subvenisset, cur æque ideo sibi futurum, ut eam emendaret: uti illico præstitit, offerens mendico, quidquid ultra numorum egestas sua posceret. In altero autem, cum nepotem suum cerneret, tantum ex facta sibi injuria inæroris concepisse, ut præ lacrymis, ac singultibus impos loquendi esset; ad lenendam nonnihil illius ægritudinem, principio indignissimam enim vero rem fuisse, de qua quereretur, dixit, séque id de illa ultimum genus sumpturum, quod toti Alexandriae admirationis, & sermonum materiam præberet. Tum hoc quasi malagmate vulnere adhibito, postquam hujus dolorem remissum aliquatenus vidit, paternè adolescentem commonuit, nepotis sui gradu, atque titulo non debere illum uti ad inanis superbiæ, sed ad Christianæ incitamentum virtutis. Accedat tóque postremùm tabernario certum quoddam debitæ sibi ab eo annuæ pecuniæ condonatio.

navit vectigal: tam de inexpectato illo munere lætum dimittens, quàm ex injuriæ suæ conscientia trepidus venerat: novóque hoc ultionis genere amplissimam toti urbi suppeditans admirandi, & plaudendi materiem.

(*In Vit. & Marul. Dict. & Fact. Mem. L. 3. c. 3.*)

21. Tale quoque D. Ignatius Loyola illius specimen dedit erga contubernalem, à quo, dum Lutetiæ studiis operam daret, pecunia omni ad necessarios vitæ usus comparata interversus fuerat: adeò, ut alendi sui causâ stipem deinde, non sinè gravi studiorum incommodo, cogeretur emendicare. Cùm enim nonnullo post tempore in Hispaniam rediens, Rhotomagi correptus gravi morbo fuisset, inque summa solatii, auxiliique inopia æger decumberet, Ignatius re audita, injuriæ memoriam non nisi pro beneficii stimulo habens, confestim Parisiis eò cursum arripuit; cupiènsque homini misero & ante suum adventum prodesse, pro eo Numini obtulit, quidquid laborum pateretur in illo ferè tridui itinere, quod totum nudis pedibus, nullóque usus seu cibo, seu potu confecit. Mox appulsus Rhotomagum, quanquam viribus inediâ, & lassitudine exhaustis, ægrum conquirit, inventum comple-

plexus amicissimè est , affectum , semianimèque sedulo ministerio recreavit : utque tandem levatus morbo est , corrogato solenter viatico , & commendatitiis ad amicos Hispaniæ literis instructum , in navim imposuit : quidnam , rogo , amplius erga fratrem germanum , vel erga hominem de se optimè meritum , & cui vitam deberet , facturus , quàm erga caput infidum , & universi commeatûs sui fraudatorem fecerit ? (*Bart. Imp. L. 2. n. 39 & Mass. L. 3. c. 4.*)

22. Secundùm quæ nihil jam superest , nisi hanc , de qua loquimur , benignitatem , vel in ipsamet morte , & erga ipso smet interfectores suos ab uno ex Ignatii ejusdem filijs expromptam videre. Emmanuel Fernandus is fuit : quem cùm immanes ficarii verberibus usque ad mortem contudissent , maiorem de immortalis eorum vita , quàm de sua jamjam deficiente curam habuit , ut vocibus intermortuis , & toto , qui supererat , spiritu ad pœnitentiam eos provocans , nè abite , dixerit , filii : sed quoniam me necando gravorem multò animabus vestris , quàm meo corpori intulistis perniciem ; utimini occurrere remedio , quòd certum vobis & præsens pœnitentiæ Sacramentum ego offero , utpo-

te cui legitima adest facultas absolvendi etiam hujus facinoris reos. Sic ille: & posteaquam Sacerdotali absolutione unum ex iis expiasset, quem tantæ charitatis ardor ad detestanda sua crimina, & eorum veniam rite exponendam impulerat; lætissimus obiit, quòd animæ vitam ei reddidisset, qui corporis sibi mortem attulerat. (*Rho. Ex. Virt. L. 1. c. 3.*)

CAPUT XVII.

Esse aliquem hominis erga se amorem rectum, quemque perfectus DEI amor non excludat, imò veriùs præscribat.

Ex naturæ nihil aliud, quàm suprema ratio, & voluntas DEI est: qui sicut hominem condidit, sic certa quædam jura, tanquam prima totius æquitatis, & rectè vivendi elementa illius animo insculpsit. Jam verò inter leges naturæ nulla est vulgò notior, quàm quæ jubet unumquemque à se diligere: adeò ut nemo unquam vel in extrema, incultissimæque barbarie repertus sit, qui eam ignoraverit, aut vel minimam de illius æquitate dubitaverit.